

La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 59

In nomine Domini Dei aeterni et Salvatoris nostri Jhesu Christi. Hludovicus misericordia Dei rex. Si locis divinis cultibus mancipatis emolumentum nostrae largitatis impendimus, id nobis procul dubio ad presentem vitam facilius transigendam et ad aeternam feliciter capessendam prodesse confidimus. Quocirca noverit omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque, presentium scilicet ac futurorum sollertia quia nos, divina inspiratione tacti ac de aeterna remuneratione solliciti, libuit celsitudini nostrae ob perpetuam mercedem domni genitoris nostri pia memoriae Karoli imperatoris augusti ac genitricis nostrae gloriosae videlicet reginae Hyrindrudis, sed et nostri, ad basilicam sancti Martini sitam in suburbio Turonicae civitatis et ad ipsius ecclesiae canonicos, qui ejusdem beatissimi patris jugibus excubiis gloriosum venerantur templum et tumulum, quasdam res et mancipia nostrae proprietatis delegare ac perpetualiter eidem loco et predictis fratribus in proprium conferre, id est villam nostram Merlaum sitam in pago Camsiacense super fluvium Vigeram cum omnibus appendiciis et integritatibus suis ac decimis quae in usus cedentur hospitalis nobilium atque pauperum. Unde hoc nostrae altitudinis preceptum fieri jussimus ac super sepulchrum ipsius sanctissimi patris manu propria posuimus, quatinus eandem villam cum omnibus ad se pertinentibus, sicut hic insertum esse cognoscitur, ipsi fratres ad supplenda eorum victus necessaria perpetuis temporibus teneant atque possideant, nemine inquietante. Volumus etiam ut jam dicti fratres, diebus dum advixerimus, diem nativitatis nostrae, quae est kl. novembris, et diem unctionis nostrae qua per misericordiam Dei in regio culmine sublimati sumus, id est VI idus decembris, refectioe sibi ex predictis rebus parata, annis singulis observent, et, sicut dictum est, pro genitore et genitrice nostra ac fratribus nostris, Karolo scilicet et Karlomanno, sed et nobis conjugaeque ac prole vigiliis et missarum sollempniis ex more celebratis Domini misericordiam cordatenus implorent, nobis vero Deo propitio ad meliora migrantibus, diem obitus nostri annis singulis similiter observare ac pro nobis Dei omnipotentis clementiam exorare non negligant. Ut autem nostrae donationis auctoritas firmior habeatur et futuris temporibus ab omnibus diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus et anuli nostri impressione assignari jussimus. Petimus etiam ut memoriam Hlotharii fratris nostri similiter habere non negligant.

Signum Hludovici gloriosissimi regis.

Vulfardus notarius ad vicem Gozleni recognovit et s..

Datum XII kl. julii, indictione XI, anno I regni domni Hludovici gloriosissimi regis. Actum Turonis monasterio sancti Martini. In Dei nomine feliciter. Amen.